PROGRAMM

des

Königlichen Evangelischen Gymnasiums

in

Gross-Glogau

für das Schuljahr von Ostern 1875 bis Ostern 1876

mit welchem zu den

Schulfeierlichkeiten am 8. April

Vormittags 9 Uhr

ehrerbietigst einladet

der Director

Dr. L. W. Hasper.

Inhalt.

Ostern 1876.

Druck von Eduard Mosche in Glogau.

1876. Progr. Nr. 144.

Laocoon

sive

De limitibus artibus et fingendi et poëticae circumscriptis

(pars altera.)

VII.

Artifex si dicitur imitatus esse poëtam, aut hic illum, duplici modo id possumus interpretari. Aut enim alter alterius opus ipsum sibi proposuit imitandum, aut eodem imitationis exemplo proposito alter ab altero rationem imitandi mutuatus est.

Vergilius quidem si Aeneae clypeum describit, artificem clypei ita imitatur, ut priori illo utatur imitandi genere. Ipsum enim artificium imitandum sibi proposuit, non ea, quae in eo ficta sunt. Ea narrantur quidem, sed non per se, immo propterea quod ad clypeum describendum pertinent. Contra Laocoontis statuam si imitatus esset Vergilius, alterius generis haec esset imitatio. Non enim statuam ipsam, sed quae in statua sunt ficta imitatus esset, eaque ita, ut ab artifice singula imitationis lineamenta mutuaretur.

Illud si sequitur imitandi genus, poëta sui iuris est, hoc secutus in potestate aliena est. Illud pertinet ad generalem rerum imitationem arti eius propriam, et poëta suo utitur ingenio, sive aliorum artificum sive naturae opus sibi proponit. Hoc de dignitate eius detrahit, cum poëta non res ipsas, sed imitationes earum imitetur, et alieni ingenii inventa in memoriam nobis revocet, qua re animi minime moventur, non sui proponat.

Iam vero cum artifex et poëta eas res, quae utrique communes sunt, saepe non possint non eadem ratione considerare, fieri non potest, quin imitationes eorum multis in rebus congruant, quamvis inter utrumque ne minima quidem fuerit imitatio aut aemulatio. Qua similitudine fieri potest, ut, si artifex et poëta aequales sunt, rebus, quae hodie non iam exstant, propositis alter alterius interpres sit. Eius modi autem interpretationes si ita persequimur, ut quod fortuitum est id consilio putemus perfectum, poëtamque vel minimis in rebus hanc statuam illamve picturam respexisse fingamus, nescio an minime id gratum factum videatur

aut ipsi poëtae aut carmina eius legentibus, quibus praestantissimus quisque versus hac ratione, si deus bene vertit, perspicuus quidem, sed frigidus apparebit.

Hanc viam ingreditur, vel potius in hunc errorem incidit scriptor clari cuiusdam operis anglici. Spence enim „Polymetin“ suum ita scripsit, ut appareat, quanta fuerit antiquarum literarum scientia, quam optime versatus sit in artificum, qui ad nos pervenerunt, antiquorum operibus. Qui quamquam quod sibi proposuit, ut his Romanorum poëtas illustraret, et ex poëtis multa exquireret quae ad antiquorum artificia explicanda apta essent, haud raro est assecutus, tamen librum scripsit ei qui sano utitur iudicio intolerabilem.

Negari enim sane vix potest, Valerius Flaccus alatum fulmen, quale erat in scutis Romanorum, describens his verbis:

Nec primus radios, miles Romane, corusci
Fulminis et rutilas scutis diffuderis alas.

quid velit, melius intellectum iri a nobis, si tale scutum in monumento nescio quo fictum viderimus. Vero simile porro est, Martem, qualem pendentem Addison in nummo quodam super Rheam cernere se putabat, a veteribus quoque armorum fabris in cassidibus scutisque esse fictum, Juvenalisque animo talem cassidem scutumve talo obversatum esse, cum verbo hanc rem attingeret a nullo ante Addisonem interprete probabiliter explicato. Quin etiam locus ille Ovidianus, quo Cephalus defessus auras refrigerantes appellat, cum exclamet:

Aura — — venias — —
Meque iuves, introsque sinus, gratissima, nostros.

et Procris hanc Auram nomen aemulae esse putat, hic locus, inquam, dilucidior esse potest videri, si cognitum est veterum monumentis, revera ab iis auras tepidas humana indutas esse specie genusque quoddam Nympharum hoc nomine cultum. Concedo denique, si Juvenalis nebulonem quendam nobilem Hermae comparat, hanc similitudinem, quam sit apta, vix posse intelligi, nisi quis talem statuam viderit, si ignoret vilem illam esse pilam, caput solum truncumque dei portantem et, quoniam manibus careat pedibusque, inertiae cogitationem excitantem. — Eius modi interpretationes non sunt spernendae, quamvis neque ubique necessariae sint, neque ubique sufficiant. Poëtae enim animo artificium ipsum, non imitatio eius obversata est, vel poëta atque artifex easdem adhibebant notiones omnibus communes, ut in iis quae finxerunt non possent non consentire, unde apparet, quam pervulgatae fuerint illae notiones.

At cum Tibullus Apollinem depingat, qualem in somnio viderit — iuvenem formosissimum, tempora casta lauro redimitum, cuius et coma myrtea Syrio spirabat rore longa fluens cervice, et in niveo corpore mixti erant candor et color purpureus, ut in tenera gena virginis iuveni marito primum deductae: — cur haec a veteribus quibusdam iisque celeberrimis tabulis pictis desumta putemus? Non nego Echionis novam nuptam verecundia notabilem Romae fuisse, concedo sexcenties illam imitatione esse multiplicatam; num ipsum pudorem virginalem tum temporis fuisse exstinctum putas? num, postquam a pictore est conspectus, a nullo poëta poterat conspici nisi in pictoris imitatione? num, cum alius quidam poëta Vulcanum defatigatum,

faciemque eius ad focum stantis calefactam rubram ardentemque depingat, nisi ex opere pictoris aliquo cognosci non poterat, labore defatigari vires, ardore rubescere faciem? atque cum Lucretius commutationes temporum anni quadripertitas describat, easque una cum comitatu earum rerum, quas ipsae sive in aëre sive in terra ex rerum natura proferunt, nobis proponat, num eum putas unum diem, non per annum saltem vixisse, negasque eas commutationes usu eum cognovisse, ut nisi pompa, in qua statuae earum circumferebantur, doctus eas non possit describere? a statuis demum illis Horarum veterem illam poëtarum artem didicit viva fingendi quae non vivunt? Nonne, cum Vergilius Araxem dicat „pontem indignatum," haec imago sane digna poëta fluminis ripas excedentis pontemque ipsi impositum scindentis omni nudatur venustate, si poëta his verbis artificium aliquod designat, quo hic Amnis pontem revera rumpens fingitur. — Quorsum eiusmodi explicationes, quae locos vel maxime dilucidos poëtae abiudicent, ut ex iis pictoris nescio cuius pelluceat commentum?

Doleo, quod Polymetis ille, qui liber ceteroquin maximo usui possit esse, inepto illo commento antiquis poëtis propriam mentem cogitationemque abiudicandi neque quidquam nisi alienae cognitionem relinquendi tantum taedii optimisque scriptoribus plus detrimenti afferat, quam ne maxime quidem insulsae interpretationes eorum unquam possunt afferre, qui verborum pondera sine arte examinant. Neque minus doleo, quod Spencio antecessit Addison, qui laudabili studio ductus, antiqua artificia ad interpretationem poëtarum adhibendi, et ipse parum diiudicabat, quae artificis imitatio poëtam deceat, quae laudi eius obtrectet.

VIII.

De similitudine, quae fingendi arti est cum poëtica, Spence mira est allucinatus. Hanc enim putat tam propinqua cognatione cum illa apud veteres coniunctam fuisse, ut semper idem sequerentur, neque unquam aut poëta ab artificis aut artifex a poëtae consiliis discederet. Artem autem poëticam multo latiorem esse, multisque abundare venustatibus, quas artifex nunquam posset attingere, variisque de causis has a poëta saepe illis, quas artifex imitari posset, praeferri, ne in mentem venit quidem Spencio. Quo factum est, ut vel minima, quae ei occurrit, poëtarum artificumque discrepantia, eum adeo perturbaret, ut mirum quantum tergiversaretur.

Nam cum poëtae veteres Bacchum plerumque cornibus instructum fingant, valde mirans Spence, haec cornua tam raro conspici in statuis eius, modo hac modo illa causa id factum esse putat, velut inscitia eorum, qui rebus antiquis studerent, vel cornuum brevitate, quae fortasse uvis et hedera, quibus dei illius caput ornari solebat, fuerint tecta. Denique versat se et torquet, quae sit vera causa nullo modo suspicans. Iam vero constat, cornua Baccho non naturaliter fuisse innata, qualia erant Faunorum et Satyrorum, sed ad frontem

ornandam facta aut imponi aut deponi poterant. Nam apud Ovidium de Baccho solemniter invocato haec sunt:

Tibi cum sine cornibus adstas
Virgineum caput est.

Poterat igitur deus sine cornibus apparere, et apparuit sine illis, quotiescunque virginea venustate ornatus prodire voluit. Talem cum artifex eum vellet exhibere, omnia erant vitanda, quae venustati obtrectassent. Obtrectassent autem non cornua solum, quae diademati erant imposita, ut in capite quodam, quod est in thesauro regio Berolinensi, conspici potest, sed ipsum diadema, quod, cum pulchram frontem velasset, in statuis Bacchi tam raro conspicitur, quam cornua ipsa, quamquam a poëtis deo, ut inventori eius, non raro tribuitur. Hi enim appositis illis res a deo gestas naturamque eius belle significabant, artifices his fuissent impediti maiorem exhibere venustatem. Nam si Bacchus, quod mihi quidem persuasum est, ea de causa biformis (δίμορφος) est appellatus, quod idem et venustus et horridus poterat apparere, fieri non poterat, quin artifices eam praeferrent formam, quae naturae artis eorum maxime erat accomodata.

Iam cum Minerva et Juno a poëtis Romanis saepius fingantur fulmina mittentes, Spence mirans, cur tales non in signis quoque fingantur, suspicatur, concessum illud fuisse illis diis prae caeteris, causamque eius rei fortasse Samothraciis traditam esse mysteriis, ad quae cum statuarii a Romanis vulgares habiti raro essent admissi, hanc rem ignotam ab iis fingi non potuisse. Quid enim? vulgaresne illos homines genio suo putas indulsisse, an mandata esse executos virorum nobilium, quibus mysteria possent esse aperta? num statuarii apud Graecos etiam despiciebantur? nonne artificum Romanorum plerique ex Graecia erant orti? caetera.

Porro Statius et Valerius Flaccus iratam quandam Venerem describunt tam horribilem visu, ut tum temporis Furia potius, quam amoris dea haberi possit. Qualem cum Spence frustra in antiquorum artificum operibus quaereret, quid inde eum putas conclusisse? num id quod erat concludendum, poëtae licere plura, quam statuario pictorique? Contra, cum ei sit exploratum, in poëtarum descriptionibus nihil esse laudandum, quod in pictura vel in statua fictum indecorum esset, poëtas illos in hac re putat peccasse. Qui cum posterioris sint aetatis, qua quidem Romanorum ars iam fuerit depravata, hac quoque re, quantum isti caruerint elegantia, quam corrupto fuerint iudicio apparere. A melioris enim aetatis poëtis non ita elegantiae leges esse offensos.

Haec non sunt magni acuminis. Quamquam mihi non est propositum hac in re Statium aut Valerium defendere, sed generalem quandam inde quaesitam proponam observationem. Dii enim numinaque, qualia artifex fingit, non prorsus eadem sunt, atque quibus utitur poëta. Quae apud illum notiones quaedam sunt universae humana specie indutae, eadem semper vel simili certe, ut, qui sint, agnoscantur, ratione fingendae; hic iis, quippe quos agentes faciat, praeter universam illam naturam definitam quandam tribuit indolem et certos quosdam affectus, qui, si res postulat, illam quodammodo obscurant. Sculptor igitur Venerem, quae ei nihil est

nisi amoris quaedam conformatio, fingere non potest nisi casta illa verecundaque venustate omnique illa ornatam gratia, qua, cum deliciae nostrae nos ea delectent, amoris notionem definimus. Ab qua forma et specie si paululum modo recederet, imaginem ab eo propositam, qualis esset, non agnosceremus. Pulcritudo enim cum majestate potius, quam cum pudore coniuncta, non Veneris est, sed Junonis. Venustas autem imperiosa eaque mascula magis, quam suavis illa, Minervae sunt, non Veneris. Iratam vero Venerem ulciscendi cupiditate et furore perculsam fingere prorsus non consentaneum est arti sculptoris. Amoris enim ipsius non est irasci aut unquam ulcisci. Apud poëtam contra Venus non minus quidem species et forma quasi amoris est, sed eadem dea est, quae cum praeter universam illam naturam suam habeat propriam, non minus odii quam amoris impetu commovetur. Quid igitur mirum, quod ab illo iracundia et furore incensa describitur, praesertim si propter offensum amorem irascitur.

Quamquam artifex quoque in operibus magis complicatis aeque ac poëta praeter naturam Veneris vel cuiusvis alius numinis, res quoque ab iis gestas fingere potest, modo res illae, quamvis non e natura numinis ipsa emanent, ne ei sint repugnantes. Velut Venus filio arma divina tradens et ab artifice et a poëta describi potest. Nihil enim illum impedit, quominus Veneri omnem gratiam tribuat venustatemque, quae amoris deae conveniunt, quoniam illis ipsis in opere suo facilius etiam, quis sit, cognoscitur. Contra Venus Lemnios contemtores ultura, ingens, effera, genas maculis suffecta, quae crine diffuso facem piceam arripuit, palla nigra induta, nube obscura invehens ac descendens ut non ab artifice, qui eam haec agentem nulla re ita potest insignire, ut ab omnibus agnoscatur, ita a poëta potest describi, quippe qui cum his alia, quae Veneri amoris deae sunt maxime propria, ita coniungere possit, ut eam, quamvis Furiae similem agnoscamus. Qualem videmus apud Flaccum his versibus descriptam:

— — Neque enim alma videri
Iam tumet; aut tereti crinem subnectitur auro,
Sidereos diffusa sinus. Eadem effera et ingens
Et maculis suffecta genas; pinumque sonantem
Virginibus Stygiis, nigramque simillima palmam.

Eandem apud Statium his:

Illa Paphon veterem centumque altaria linquens,
Nec vultu nec crine prior, solvisse iugalem
Ceston, et Idalias procul ablegasse volucres
Fertur. Erant certe, media qui noctis in umbra
Divam, alios ignes maioraque tela gerentem,
Tartarias inter thalamis volitasse sorores
Vulgarent: utque implicitis arcana domorum
Anguibus, et saeva formidine cuncta replevit
Limina.

Poëta solus hoc habet, ut personam aliquam omnibus iis carentem, quae ei propria sunt,

insignibus describat, aut permixtis his, quibus caret, cum illis quae habet, contrarias res coniungat. Velut Venerem describit non almam illam, crinem auro tereti subnectentem, sidereos sinus diffusam, non cesto ornatam, sed alios ignes gerentem et maiora tela, Furiis, quibus tum similis erat, circumdatam. Qua arte quoniam artifex caret, num vis ea ne poëtam quidem uti? Sit quidem ars fingendi soror poëticae artis, modo ne sit soror invidiosa, ne minor natu maiori ea invideat ornamenta, quae ipsam non decent.

IX.

Si vis singula opera et pictoris et poëtae inter se comparare, primum quaerendum est, num uterque in illis perficiendis omni usus sit libertate, num nulla re impediti summum, quod ars valeat, efficere potuerint. Religione enim saepe veteres artifices impediebantur. Quorum opera ad venerationem atque admirationem facta non omnia tam perfecta esse poterant, quam si solam spectatorum voluptatem respicere potuissent. Superstitione enim factum est, ut dei signis cumularentur, neque pulcerrimum quemque ubique venerabantur maxima ornatum pulcritudine.

Velut Bacchus in templo suo Lemnio, unde pia Hypsipyle patrem dei forma indutum servavit, cornibus ornatus stabat. Neque dubium est, quin talis in omnibus appareret templis, quoniam cornibus natura eius aliqua ex parte significabatur. Quod signum liberi artifices omittebant, qui Bacchum non ad templorum usum fingerent. Iam si inter eas, quae ex antiquitate relictae sunt, statuas Bacchi nullas cornibus ornatas invenimus, eae non videntur ex sacratis fuisse, quae adorabantur in templis, praesertim cum has prae caeteris christianorum furore primis saeculis deletas esse, vero sit simillimum, qui iis solis artificiis nonnunquam parcebant, quae in nullam adorationis suspicionem erant vocata.

Iam vero cum in antiquitatibus effossis utriusque generis statuae reperiantur, velim eae solae artificiorum nomine dignae habeantur, in quibus artifex arte sua libere usus nihil spectabat nisi ut pulcri speciem atque formam fingeret. Caeterae omnes, in quibus ea nimis apparent, quae ad cultum pertinent, eo nomine indignae sunt, quoniam artifex in his non sui iuris erat, sed cultui deorum serviebat, qui in iis, quae ei proponebat fingenda, ad gravitatem magis, quam ad pulcritudinem spectabat, quamquam negari non potest, a sacerdotibus vel gravitatem saepius in pulcritudine esse positam, vel artis et exquisiti iudicii studio tantum ab illa esse remissum, ut haec sola videretur regnare.

Quae nisi accurate distinguuntur, existimatores artis et rerum antiquarum investigatores semper inter se discrepabunt, quia alter alterum non intelliget. Nam si ille, qua est artis peritia, negaverit, haec illave ab antiquo artifice, qui quidem verus artifex fuerit et sua arte libere usus sit, unquam esse ficta hic id ita interpretabitur, quasi ille negasset, haec ab

ullo artifice, qui quidem operarius esset, usu religionis aut alia quadam ab arte aliena causa commoto ficta esse. Quam ob rem statua nescio qua reperta existimatorem hic putabit refutari posse, quam ille magna virorum doctorum offensione, unde effossa est, eo reicere non dubitabit.

Contra vim, quam religio habeat in artem, nimiam putare possumus. Cuius rei luculentum exemplum est apud Spencium. Qui cum apud Ovidium legisset, Vestam in suo templo nullo simulacro posito cultam esse, inde concludere se posse putabat, nullas omnino huius deae fuisse statuas, easque, quae etiamtum ei essent attributae, non Vestae, sed Vestalis alicuius esse. Mirum hoc! Quid enim? Non licuit artifici, deam, cui poëtae certam personam imponebant, quam filiam dicebant Saturni et Opis, quae ne a Priapo violaretur, periculum erat, et quae alia de ea traduntur, non licuit, inquam, ei hanc pro artis suae natura humana induere specie, propterea quod in uno aliquo templo sub ignis specie sola colebatur? Nam id quoque peccat Spencius, quod quae Ovidius de certo quodam Vestae templo, quod Romae erat, dicit, ad omnia huius deae templa promiscue et ad universum eius cultum refert. Is nec ubique idem erat, atque Romae in illo templo, nec in Italia ipsa talis erat antequam Numa hoc templum condidit, qui ut nullum numen aut humana aut animali forma fictum voluit, ita cultum Vestae hac ipsa re emendavit, quod humanam eius speciem fingi vetuit. Nam ipse Ovidius narrat, ante Numae aetatem Vestae simulacra in templo eius fuisse, quae, cum Sylvia sacerdos mater sit facta, ob pudorem virgineas manus oculis opposuerint. Neque in templis huius deae extra urbem in provinciis positis cultum prorsus eundem fuisse, atque a Numa institueretur, pluribus apparet veteribus inscriptionibus, in quibus pontifex commemoratur Vestae. Corinthi quoque templum Vestae erat omni simulacro carens solaque ara ornatum, in qua deae offerebantur sacrificia. Nec tamen Graeci simulacris illius deae omnino caruisse putandi sunt, quorum unum erat in prytaneo iuxta Pacis statuam, altero Jassenses gloriabantur sub divo stante nec nive nec imbre unquam tecto, tertium Plinius commemorat sedens a Scopa factum, quae tum Romae erat in Servilianis hortis. Fac nobis difficile esse discernere Vestalem aliquam ab ipsa Vesta, num inde sequitur, ut ne veteres quidem eas discernere potuerint, ne dicam voluerint? Sunt sane certa quaedam signa, quae hanc magis quam illas significent. Sceptrum enim, fax, palladium nisi deae ipsi non tributa esse suspicari possumus. Cui quod Codinus tribuit tympanum, id haud scio an ei ut Telluris deae tributum sit, nisi forte Codinus ipse non satis scivit, quid videret.

X.

Iam aliam, qua offendebatur Spence, affero rem, qua offensione apparet, parum eum de limitibus, qui sunt inter fingendi artem et poëticam, cogitasse. Musae, inquit, mirum quam raro a poëtis describantur, multo id fit exspectatione rarius, praesertim cum tantum hi debeant illis.

Nihil autem miratur aliud, quam quod poëtae Musas commemorantes non mutis illis pictorum symbolis utuntur. Uraniam quidem poëtae astrorum deam appellant; nomine eius et factis quale eius sit munus cognoscimus. Quod artifex significare non potest nisi illam describit radio sphaeram monstrantem; hic enim radius, haec sphaera, hic gestus signa sunt, quibus nomen Uraniae nobis tradit componendum. Cur autem poëtam vis, ut exprimat „ab Urania diu positis astris letum alicuius esse praedictum", addere quae sunt artificis, Uraniam haec fecisse radium manu tenentem sphaeramque monstrantem? Nonne hoc idem esset, ac si homo, qui lingua uti potest, signis uteretur, quae ab hominibus illis lingua carentibus in gynaeceo Turci inventa sunt.

Eadem Spence de allegoriis notat sive de illis numinibus, quae veteres virtutibus humanam vitam regentibus praeponebant. „Non videtur, inquit, praetermittendum, quod Romanorum poëtae de optimis horum numinum multo exspectatione minora profitentur. Qua in re artifices multo sunt copiosiores, ut ornatus cuiusque eorum qualis fuerit, facile appareat ex nummis imperatorum aetate signatis. Poëtae contra, quamquam illa saepius humana specie commemorant induta, de signis tamen eorum, de vestibus caeteroque cultu pauca tradunt."

At si poëta notiones mente sola percipiendas humana fingit indutas specie, eae iam nomine ipso, quo appellantur, et rebus, quas gerunt, satis notantur. Quo nomine cum artifices non possint uti, personis, quibus notiones definiunt universas, symbola quaedam addere coacti sunt, quibus notentur. Quae cum aliud quid sint, aliud quid significent illas personas reddunt allegoricas. Velut femina quaedam frenum manu tenens vel alia quaedam ad columnam annixa, quales ab artificibus proponuntur, allegoriae sunt. Contra poëtae si Temperantiam et Constantiam fingunt humana indutas specie, eae non sunt pro allegoricis habendae.

Iam cum artifex necessitate symbolis illis uti cogatur, quoniam his solis quid haec illave figura significet, notare potest, cur ea, quibus ille necessitate coactus utitur, poëtae iis minime egenti obtrudenda esse putemus.

Qua igitur re Spence maxime offenditur, ea digna est, quae quasi lex omnibus poëtis praescribatur. Nam quibus artifex non potest carere, ea ne poëtae habeant pro abundantia, neve quae artifices invenerunt, ut poëticae artis virtutes possint aequare, ea poëtae illis invideant, quasi ad perfectionem pertineant. Quibus enim symbolis artifex utitur, ut figuram quandam in superiorem tollat ordinem, iis si poëta uteretur, superioris ordinis personam in mutam verteret figuram.

Quae regula ut veterum exemplo comprobata est, ita consilio atque voluptate quadam deseritur a recentiorum aetatum poëtis, qui quas fingunt allegorias eas personatas proponunt. Qua in arte qui optime versantur, ii plerumque personas facere agentes, id quod gravissimum est, easque, quales sint, actionibus notare nesciunt.

Quamquam inter eas res, quas artifices figuris suis attribuere solent, sunt quae a poëta minus sunt alienae eoque digniores, eas dico, quae non pertineant ad allegoriam, sed quae sint instrumenta, quibus illae figurae, si vivae agerent, aut uterentur aut uti certe possent. Frenum

quidem, quod Temperantia manu tenet, columna, ad quam annititur constantia, cum solam ad allegoriam pertineant, poëtae nulli sunt usui. Libra autem, quam manu tenet iustitia, minus iam ad allegoriam spectat, quod libra recte uti revera est iustitiae. Lyra denique vel tibia, quam Musa aliqua, hasta, quam Mars, malleus forcepsque, quos Vulcanus manibus tenet, omnino non sunt symbola, sed instrumenta, sine quibus illa numina quas iis tribuimus res non possunt conficere. Huiusmodi autem sunt illa signa, quibus uti poëtae veteres in descriptionibus suis licitum concessumque sibi putant. Quae ut ab illis ad allegoriam pertinentibus distinguantur, poëtica nominaverim. Quorum haec rem ipsam significant, illa simile quid.

XI.

In eos, qui poëtis quae ipsi excogitaverunt numina signis ad allegoriam pertinentibus esse exornanda putant, referendus videtur ipse Caylus. Is vero pingendi artis peritior erat, quam poëseos.

Quamquam liber, in quo illud profitetur, me ad graviores quasdam instigavit contemplationes, quarum gravissimas iam animo reputandas propono.

Nam cum ille velit, artifices Homerum summum poëtam eundemque perfectum pictorem, optimum naturae imitatorem cognoscant, ostendit iis, quantam copiam etiamnunc prorsus neglectam optimarum adumbrationum res a Graeco illo tractatae offerant, operaque eorum eo perfectiora fore, quo diligentius vel minimis a poëta commemoratis rebus utantur.

In his autem quod antea distinximus duplex miscetur imitationis genus. Vult enim ille pictor non solum idem imitetur, quod poëta est imitatus, sed eodem modo eademque imitetur ratione, poëtae sequatur non solum narrationem, sed etiam artem.

Hoc autem secundum genus imitationis poëta indignum, cur non idem indignum artifice? Nonne si ante Homerum tanta exstitisset imaginum series, quantam ex eius operibus profert Caylus, et si nos non ignoraremus, poëtam in carminibus suis has sibi proposuisse imitandas, admiratio eius aliquantum diminueretur? Unde igitur fit, ut artificem minoris non aestimemus, quamvis nihil faciat nisi ut quae poëta verbis, ea figuris coloribusque exprimat?

Cuius rei causa haec videtur esse. Artifici difficiliorem esse intelligimus perfectionem operis inventione, poëtam contra videmus illam prae hac facilius posse assequi. Quod si Vergilius liberos Laocoontis cum ipso patre nexibus serpentis innexos a statua esset mutuatus, merito, quod in hac re gravius et maius est, careret, minus tantum restaret. Invenire enim illam rem multo gravius est, quam verbis eam exprimere. Sin artifex eam a poëta deprompsisset, satis tamen nobis videretur meritus, quamvis inventionis laude careret. Marmore enim rem fingere multo difficilius est, quam verbis. Quare si inventionem comparamus cum perfectione, artifici illam eo libentius remittimus, quo magis hanc est assecutus.

Quid quod fieri potest, ut artifici maiori ducamus honori, quod in imitanda natura poëtam secutus sit interpretem, quam si eum non sit secutus. Pictor quidem im pulcra quadam regione pingenda Thomsonis descriptionem secutus, maiore laude dignus est, quam qui naturam ipsam imitatus sit. Hic enim naturae ipsius exemplum vidit, ille sola cogitationis virtute eo pervenit, ut hoc sibi fingeret. Hic ex iis, quae sensibus clare percepit, ille ex incertis infirmisque signorum ad arbitrium fictorum notionibus speciem petiit pulcritudinis.

Ut vero artifici inventionis laudem facile condonamus, ita hanc ab eo non ita ardenti studio peti non mirabimur. Nam cum intellegeret, se nunquam inventionis laude posse florere, suam laudem in perfecti operis pulcritudine esse positum, nihil curabat, resne ante longum iam tempus, an nuper esset inventa, semel an sexcenties usurpata, suo an alius ingenio excogitata. Continebat igitur se in angustis finibus rerum et sibi et omnibus notarum, totamque sollertiam suam ad ea, quae nota erant, et varianda et denuo componenda revocabat. Eamque solam qui huius artis conscripserunt praecepta intelligunt inventionem. Cuius quamvis duo habeant genera, quorum alterum magis pertineat ad pictorem, alterum ad poëtam magis, tamen ne hoc quidem rei ipsi excogitandae, sed bono ordine et cum arte componendae studet. Est sane haec quoque quaedam inventio, ut non totius rei, sed singularum partium, earumque compositionis. Est quaedam inventio, sed inferioris ordinis qualem Horatius poëtae mandavit tragico cum diceret:

Tuque
rectius Iliacum carmen deducis in actus,
Quam si proferres ignota indictaque primus.

mandavit, inquam, non imperavit. Mandavit autem eam ut faciliorem, expeditiorem, opportuniorem, non imperavit eam, quasi per se esset et melior et praestantior.

Ac profecto poëta, qui notas res notosque profert personas habet aliquantum commodi. Magnam enim nugarum copiam, quibus ad rem novam aliquam illustrandam non posset carere, omittere potest. Quo autem celerius spectatores, quid velint, cognoscent, eo celerius commovebuntur eorum animi. Eodem commodo pictor utitur si res, quam pingendam sibi proposuit, nobis non est ignota, si primo obtutu quid voluerit, cognoscimus, si non solum videmus personas, quas pinxit, loquentes, sed una quid loquantur audimus. Primo enim quoque maxime solemus affici obtutu, quo si non edocti ad meditandum et divinandum, quid res sibi velit, cogimur, ardor refrigeratur, neque amplius affici cupimus, iamque rei obscuritatem aegre ferentes, nihil curamus affectus optime expressos, et vae misero, si pulcritudinem prae affectus vehementia neglexit. Quod si ei accidit, nihil invenimus, quo commoveamur ad contemplandam picturam. Nam quod videmus displicet, quomodo rem interpretemur, ignoramus.

Utrumque iam si comprehendimus, primum quod novarum rerum inventio non in maximis ponenda est pictoris virtutibus, deinde quod hic rem notam proponens artis effectum et auget et amplificat, causa apparet, qua fit ut artifex tam raro res proponat novas. Ea sane non, quod Caylus putat, „in desidia aut in ignorantia artificis aut in difficultate materiae

fingendae, quae omnem industriam, omnemque diem absumat, erit quaerenda, sed altius erit repetenda et nescio an in ea re, qua ars impedita voluptasque videbatur imminuta, iam sapiens quin etiam utilis continentia artificis sit laudanda. Neque timeo, ne quae posuerim experientia reprobentur. Pictores enim bonae Cayli voluntati gratiam quidem habebunt, sed vix puto, eos consilio eius, quotiens ipse speret, usuros esse. Quod si tamen fieret, centum annis praeterlapsis novo opus esset Caylo, qui vetera in memoriam revocaret exemplaria artificemque eo reduceret, unde ante eum multi immortalem paraverunt laudem. An cui in mentem venerit, multitudinem non minus esse doctam, quam existimator librorum ope factus sit eique omnes et historiarum et fabularum res notas esse, unde pictura aliqua pulcra posset componi? Quamquam non quidem nego praeferendum fuisse, si artifices inde a Raphaëli aetate non quidem Ovidii, sed Homeri carmina compilassent. Quod quoniam non fecerunt, ne turbemus vulgus, neve voluptatem ei pluris vendamus, quam par est.

Protogeni quidem, cum Aristotelis matrem pinxisset, quantam philosophus solverit pecuniam nescio, consilium autem ei dedit vel pretii loco vel pretio additum, quod multo erat pretio ipso praestabilius. Suasit enim ei quod non adulandi causa factum puto, sed quod artificis esse intellexit opera proponere omnibus perspicua, ut Alexandri res pingeret, quas ut tum quidem omnium in ore erant, ita ne apud posteros quidem oblivioni datum iri praevidit. Quod quidem consilium imprudenter ille negligens impetu animi et quadam artis libidine cupiditateque rerum singularum et obscurarum ad prorsus alias adductus est res fingendas. Ialysum enim maluit pingere et Cydippen aliaque huiuscemodi, quae quid sibi voluerint hodie ne divinamus quidem.

XII.

Atque Homerus quidem duplex genus habet et personarum agentium et rerum actarum, alterum eorum, quae sub adspectum cadunt, alterum quae non cadunt. In picturis alterum non potest discerni ab altero, quoniam in iis omnia sub adspectum cadunt, idque pari modo.

Iam si Caylus imagines actionum, quae non cadunt sub adspectum, continuo ordine componit cum non conspicuarum imaginibus, si in picturis mixtarum actionum, quibus personae et conspicuae et non conspicuae intersunt, non monstrat, aut potius monstrare non potest, quomodo hae, quae nisi picturam spectantibus conspicuae esse non possunt, ita possint fingi, ut ab agentibus in pictura ipsa personis non cernantur, vel certe non cerni possint videri, fieri non potest, quin et tota imaginum series et singulae plures imagines prorsus turbatae et mirae et inter se dissentientes videantur.

Quamquam hoc vitium eos non turbabit, qui Homeri carmina in manibus tenent. Multo autem gravius est, quod, si a pictore personae conspicuae non discernuntur a non conspicuis, necessario quibus hae superiores praestant illis, tolluntur virtutes propriae.

Velut pugna deorum de sorte Troianorum dissidentium manusque postremo inter se conserentium, cum apud poëtam oculis cerni non possit, cogitationi licet hanc scenam dilatare, personasque deorum et quae ab iis geruntur tanta tamque humana omnia superantia fingere, quantacunque velit. Pictori autem scena est proponenda oculis conspicua, cuius partes variae eaeque necessariae modum constituunt personis agentibus, qui modus prope adiacens cum non congruat superiori deorum naturae, hi qui apud poëtam grandes erant, in tabula immanes apparent.

Minerva enim, quam primam in hac pugna aggreditur Mars, paulum recedens valida manu humo nigrum asperum magnumque arripit lapidem, quem antiquitus coniunctae hominum manus terminum posuerunt.

Ἡδ᾽ ἀναχασσαμενη λιθον εἱλετο χειρι παχειῃ
Κειμενον ἐν πεδιῳ, μελανα τρηχυν τε, μεγαντε
Τον ῥ ἀνδρες προτεροι θεσαν ἐμμεναι οὐρον αρουρης.

Qui quantus fuerit ut recte iudicemus, in memoriam nobis revocemus heroas ab Homero fictos duplo validiores validissimis Homericae aetatis viris ab iis, quos Nestor adolescens cognovisset, multum robore superari. Iam si Minerva lapidem, quem non unus, quem plures Nestoris adolescentis aequales terminum posuerant, in Martem iaculatur, quali tu putas statura hanc deam esse fingendam? Quae si statura respondet magnitudini lapidis, miraculum tollitur. Hominem enim, qui triplo me superet corporis magnitudine, triplo maiorem lapidem iaculari, naturae est consentaneum. Sin non respondet, pictura vero adeo est dissimilis, ut in offensionem nostram cadat; neque haec offensio nobis quantum divinae superent humanas vires deliberantibus eximitur. Quo enim maiora videmus effecta, eo maiores cernere volumus causas efficientes.

Mars porro ingenti illo lapide percussus, septem obtexit iugera (*τρις δ᾽ ηερα τυψε βαθειαν*). Quam incredibilem corporis magnitudinem cum pictor fingere non possit, non Martem videmus humi iacentem, certe non Martem Homericum, sed militem nescio quem gregarium.

Quam igitur legimus deminutionem apud Longinum, homines ab Homero ad deorum auctos esse firmitatem, deos ad hominum deminutos infirmitatem sibi videri dicentem, eam a pictoribus videmus effectam. Quorum in operibus omnia prorsus evanescunt, quibus poëta deos divinis etiam hominibus praestantes facit. Magnitudo enim et vires corporis pedumque celeritas, quas Homerus aliquantum maiores et admirabiliores diis tribuit, quam heroibus vel praestantissimis, in picturis ad communem hominum mensuram sunt redigendae, ut Jupiter et Agamemnon, Apollo et Achilles, Aiax et Mars prorsus eiusdem naturae videantur neque ulla re distinguantur nisi externis quibusdam, quae convenerunt, signis.

Pictores quidem, ut significent, quae in operibus suis sub adspectum cadere nolint, ea oculis personarum agentium occulunt tenui nube, quae ex ipsis Homeri carminibus videtur petita. Nam si quis praestantium heroum in poelii concursu armorumque strepitu tanto versatur in periculo, ut nisi deorum potentia servari non possit, poëta eum per deum tutorem densa nebula vel noctis caligine involutum indeque abreptum facit, veluti Paris abripitur per

Venerem, Idaeus per Neptunum, per Apollinem Hector. Quam nebulam nubemve Caylus artificibus iterum iterumque commendat adhibendas, quotiens ei eiusmodi praeformat picturas. Quis autem est, quin intelligat, hac nebula, hac caligine nihil aliud voluisse poëtam, nisi ut significet, res ab illis involutas a conspectu esse abstractas. Quare semper miratus sum, poëticam illam formam effectam veramque nubem in imagine aliqua constitutam videns, pone quam tanquam pariete mobili occultus heros aliquis conspectum hostis effugit. Neque poëta hoc voluit, et artifex hac ratione limites artis suae egreditur. Haec enim nubes nihil est nisi signum, ut ita dicam, hieroglyphicum, quod heroëm liberatum non revera condit, sed spectatores monet, ut animo eum fingant conditum, simillimaque est schedulis illis in vetustis quibusdam picturis ex ore personarum pictorum pendentibus, in quibus quid dixerint illi aperitur.

Homerus sane quidem Achillem, cuius e conspectu Apollo Hectorem removet, ter facit nebulam illam ferientem (**τρις δ'ηερα τυψε βαθειαν**). At ne hac quidem re aliud quid significatur, nisi Achillem furore adeo fuisse correptum, ut ter iceret priusquam sentiret, hostem iam non adesse. Neque Achilles vidit ullam veram nebulam, neque dii ad occulendos heroës nebula utebantur, sed repentina amotione. Quam ut indicaret tam subito esse factam, ut quomodo esset facta humani effugeret oculi aciem, corpus amotum a poëta nebula involutum fingitur, non quod illius loco nebula apparuerit, sed quod rem nebula cinctam non conspicuam putamus. Quare est ubi poëtaratione inversa non virum oppressum e conspectu tollat, sed hostem opprimentem luminibus privet. Neptunus quidem oculos occaecat Achillis Aeneam mortiferis eius erepturus manibus, quem uno impetu ex media in novissimam transfert aciem. Re tamen vera Achillis oculi tum non magis erant occaecati, quam amoti illi heroës in nubem involuti; et hoc et illud a poëta fingitur, ut eo melius summa amotionis celeritas evanescendo similis sensibus percipiatur.

Homerica autem nebula illa pictores non modo iisdem conditionibus usi sunt, quibus Homerus ea vel utebatur vel usus fuisset, si quid vel non esse conspicuum vel evanescere voluerunt, sed ubicunque in pictura a spectatoribus conspici voluerunt quod a personis pictis aut omnibus aut singulis non conspiciebatur. Minerva quidem ab Achille solo conspiciebatur, cum eum retinebat, ne manum inferret Agamemnoni. Quod ut recte exprimatur ab artifice si Caylus non habet quod suadeat, nisi ut illa caeteris, qui in concione erant, velata circumdaretur nube, prorsus non intelligit, quid voluerit poëta, qui deorum naturam ita fingit, ut oculis humanis cerni non possint. Non igitur opus est occaecatione, non privatione lucis, ut dii non cernantur, sed aucta visus humani claritate opus est, ut cerni possint. Nebula igitur illa a pictore non solum ad arbitrium et contra artis naturam adhîbetur, sed ea etiam caret subtilitate, quam signa ad arbitrium facta habere solent, cum pictores ea utantur, ut et conspicua velent et non conspicua illustrent.

XIII.

Homeri carmina si prorsus essent deperdita, si Iliadis et Odysseae nihil esset relictum, nisi qualem inde petendam proposuit Caylus picturarum seriem, num his a perfectissimo quoque artifice factis, idem sentiremus ne dicam de ipso poëta, sed de facultate eius res verbis pingendi, quod nunc carminibus exstantibus?

Age quaeramus de prima, quae occurrit, pictura, veluti pestilentiae. Quid est quod in artificis opere conspiciamus? Cadavera, fumantia busta, morientes mortuos foventes, deum iratum in nube sedentem sagittasque mittentem. Quae omnia ut in pictura splendida et conspicua, ita apud poëtam egena et indecora sunt. Quid enim si carmen deperditum ex his esset restituendum, poëtam faceremus dicentem nisi fere haec: Quum Apollo iratus sagittas misisset in exercitum Graecorum, multorum interfectorum cadavera sunt combusta. Iam vero Homerum ipsum legamus, apud quem haec sunt:

Βη δε κατ' οὐλυμποιο καρηνων χωομενος κηρ,
Τοξ' ὠμοισιν ἐχων, ἀμφηρεφεα τε φαρετρην,
Ἐκλαγξαν δ' ἀρ' ὀϊστοι ἐπ ὠμων χωομενοιο,
Αὐτου κινηθεντος, ὁ δ' ἠϊε νυκτι ἐοικως.
Ἑζετ' ἐπειτ ἀπανευθε νεων, μετα δ' ἰον ἐηκε.
Δεινη δε κλαγγη γενετ' ἀργυρεοιο βιοιο.
Ουρηας μεν πρωτον ἐπῳχετο καὶ κυνας ἀργους.
Αὐταρ ἐπειτ 'αὐτοισι βελος ἐχεπευκες ἐφιεις
Βαλλ' αἰει δε πυραι νεκυων καιοντο θαμειαι.

Profecto quanto superior est res ipsa picturis, tanto poëta pictore. Nam plenus irarum cum arcu et pharetra Apollo de alto Olympo descendit. Quem descendentem non modo oculis videmus, sed auribus audimus. Quotiescunque enim pedem movet progrediens, sagittae resonant circa humeros irati. Qui nocti similis incedit, deinde contra naves residet et horrendo cum sono argentei arcus primam sagittam mittit in mulos canesque, deinde homines ipsos magis venenata sagitta aggreditur, ut undique ac perpetuo busta flagrent cadaverum plena.

Quibus verbis quae coniuncta est et subaudita dulcium sonorum suavitas neque alia lingua reddi neque ex pictoris tabula cognosci potest, quamvis minima sit virtutum, quibus praestat picturae carmen. Cuius maxima virtus ea est, ut quas res ex eo haustas pictor finxit finitas absolutasque una tabula, eas nascentes describat longa imaginum serie.

At nescio an pestilentia pictori minus apte ad imitandum sit proposita. Ecce aliam rem, quibus oculi magis delectantur, deos consiliantes potantesque; Quid? nonne aedes conspicimus aureas patentes, quoslibet formarum pulcherrimarum maximeque verendarum circulos pocula tenentium ab Hebe, aeternae Juventutis deae, ministrata. Quantam ornamentorum copiam, quantam lucis et umbrae ubertatem, quot res contrarias, quantam argutiarum varietatem! Quo vertam delectatos oculos primum, quo ultimum? Iam si pictor tantopere me delectat,

quanto magis delectabit poëta! Qua spe ductus librum si evolveris, deceptum te intelliges. Nil nisi quatuor simplices versus invenies breves, picturae qui subscribantur dignos, pictori quae pingat praebentes, nihil ipsi pingentes. Leges enim haec fere:

Οἱ δε θεοι παρ Ζηνι καθημενοι ἠγοροωντο
χρυσεῳ ἐν δαπεδῳ, μετα δε σφισι ποτνια Ἡβη
Νεκταρ ἐῳνοχοει · τοι δε χρυσεοις δεπαεσσι.
Δειδεχατ' ἀλλήλοις, Τρωων πολιν εἰςοροωντες.

Haec sane ne Apollonius quidem aut nescio quis alius magis etiam mediocris poëta minus bene dixisset. In hac igitur re Homerus non minus inferior est pictori, quam in illa pictor poëtae.

Accedit quod Caylus toto quarto Iliadis libro nisi in his quatuor versibus nullam aliam invenit picturam. Liber quartus, inquit, quantumcunque et variis ad pugnandum exhortationibus et ubertate splendidarum et conspicuarum personarum et artis praestantia, qua poëta multitudinem monstrat movendam, excellit, pictori tamen nihil praebet, quod pingere possit. Quibus verbis ille haec potuit addere: „quantumcunque abundat picturis, quae nominantur, poëticis.“ Quae sane in quarto libro exstant tam frequentes tamque perfectae, quam in ullo alio libro. Ubi enim exstat pictura et magis ampla et vero similior, quam qua Pandarus fingitur Minerva auctore sagittam, ut indutias solveret, in Menelaum mittens, aut qua exercitus Graecorum proficiscens, aut qua impetus utrimque factus, aut Ulixes mortem Leuci sui ulciscens?

Quid inde sequitur, quod et ex splendidissimis Homeri descriptionibus paucae artifici aptae sunt ad pingendum et artifex ex illius operibus multas petere potest picturas, quas ille non habet? quod eae, quas habet quasque artifex ab eo mutuatur, vix mediocres essent, nisi plura proponerent, quam quae artifex fingere poterat? Quid inde sequitur, inquam, nisi ut ea, quam antea posui quaestionem, sit neganda? ut ex picturis ab Homeri carminibus petitis, quotquot et quam splendidae sint, nihil sit concludendum de facultate poëtae rem verbis pingendi.

XIV.

Quod si ita est, si carmen multas praebere potest picturas artifici, quod ipsum picturis caret, sin carmen, quod ipsum res verbis optime pingit, nullam praebet materiam pictori, valde sane errat Caylus, qui quanti aestimandi sint poëtae tanquam obrussa diiudicare voluit pro materia, quam praebeant ad pingendum artifici et praestantiam eorum metiebatur numero picturarum, quas praebeant pictori.

Ne igitur huic errori silentio praetermisso tribuamus quandam regulae auctoritatem. Quem si probaremus, Miltonem iam quasi innocentem immolaremus victimam. Revera enim quod Caylus contemptim de eo iudicat non tam ex communi Francogallorum iudicio, quam ex ficta illa regula profectum esse videtur. „Nulla, inquit, alia re Milton similis videtur Homero nisi caecitate.“ Miltonis carmen sane non habet, quo repleantur pinacothecae. At vero si,

quamdiu his meis utor oculis, cogitatio iisdem circumscripta esset finibus, quibus oculi, profecto, ut hac liberarer circumscriptione, his mallem carere.

Neque „perdita beatorum sedes“ Miltonis propterea quod paucas praebet picturas proximum carminibus Homeri epicis locum occupare desinit, neque memoria laborum, quos Christus exanclavit, propterea pro carmine est habenda, quod vix tantum, quantum acus punctum, in ea potes invenire, in quo non summorum artificum versata sit industria. Scriptores enim sacri cum rem narrent maxima cum simplicitate, artifex variis eius partibus utitur, in quibus describendis illi ne minimam quidem pingendi facultatem adhibuerunt. Sunt enim res aliae, quae pingi possunt, aliae quae non possunt, quarum illas pictori vel maxime commodas rerum scriptor narrans omni potest carere pingendi facultate, has pictori vel maxime contrarias poëta amplificans optime potest verbis pingere.

Si quis rem aliter diiudicat sola vocis ambiguitate seducitur. Tantum autem abest ut omnes poëtarum picturae possint pingi coloribus, ut quaeque orationis forma, quaeque verborum complexio, qua poëta rem tam evidentem proponit, ut eam distinctius animo conspiciamus, quam verba ipsa, pictore digna sive pictura appelletur, quod eam habet simulationem, quam cum imagines coloribus pictae habere soleant, facillime qualis sit, ex his animo percipere possumus.

XV.

Quam simulationem cum usu doceamur et experientia aliarum quoque, atque quae oculis cernuntur, rerum descriptione a poëtis effici, artifex multis imaginum generibus non potest non carere, quae praecipua sunt poëtae. Veluti Drydeni carmine in diem festum Caeciliae composito permultae imagines sonis finguntur, quae penicillo pingi non possint. Quamquam nolo proferre exempla, quibus nihil fere aliud appareat, nisi colores non esse sonos, neque aures oculos.

Sed conspicuarum rerum picturis commemorandis insistam, quae et poëtae et artifici sunt communes. Quid autem est quod et in eiusmodi imaginibus poëticis sint quas artifex non possit pingere, et nonnullae imagines penicillo pictae a poëta descriptae nihil fere amplius habeant quo moveant animos. Quod optime probatur exemplis. Veluti quae narrantur de Pandaro in quarto Iliadis libro imaginem, ut antea iam dixi, proponunt, qua nulla apud Homerum est distinctior, nulla vero similior. Inde ab arcu arrepto usque ad sagittam dimissam, unum quodque verbis depictum est rei momentum, eaque omnia quamquam inter se arctissime coniuncta, ita tamen distincta sunt, ut, si quis nesciret, quomodo arcus esset tractandus, ex hac una posset ediscere descriptione. Pandarus enim arcum promit, nervum alligat, pharetram aperit, sagittam eligit nunquam antea emissam ac bene pennatam, hanc nervo imponit, una cum sagitta ad iufimam crenam prehensa nervum retro trahit, eum pectori admovet, ferream

cuspidem arcui, magnus curvatusque arcus remittitur cum strepitu, nervus stridet, sagitta emicat, avideque scopum petit.

Quae descriptio praestans Caylum non poterat effugere. Quid igitur est quod eam incommodam iudicaverit artifici? quid erat quod concionem deorum consultantium potantiumque ei haberet aptiorem? utraque res ea est, quae oculis cernatur. Iam quid aliud opus est artifici ad picturas penicillo imitandas nisi res oculis conspicuae?

Nodus rei in eo positus est, quod quamvis utrumque propositum, ut oculis conspicuum, possit pingi, eó tamen hoc ab illo differt, quod exstat in illo res conspicua quidem, sed progrediens, cuius singulae partes deinceps temporis decursu eveniunt, in hoc actio conspicua et ipsa, nec tamen progrediens. Quod si pingendi ars, quoniam signis materiisque ad imitationem utitur, quae nisi in spatio non possunt coniungi, non habet quo temporum varietatem distinguat, actiones tempore progredientes ipsae non sunt pictoris, qui non potest se non continere in pingendis vel actionibus continuo ordine iuxta positis vel corporibus solis, quae habitu gestuque significent, quid agant. Longe aliter ars poëtica.

XVI.

Sed ut rem e principiis deducam, ita concludo: Si pingendi ars ad imitationem suam longe aliis utitur materiis et signis atque ars poëtica, figuris et coloribus in spatio coniunctis illa, haec sonis distinctis et tempore disiunctis, si signa sine dubio non possunt non esse accomodata rei significatae, signa continuo ordine iuxta posita nisi res, quae alia iuxta aliam, vel quarum singulae partes continuo ordine simul sint propositae, contra signa, quae temporis decursu inter se excipiunt, nisi res, quae ipsae, vel quarum partes alia aliam sequantur, non possunt significare.

Iam cum res, quae iuxta positae sunt, vel quarum partes aliae sunt iuxta alias, corpora nominentur, pingendi ars nihil fere nisi corpora et quae in iis conspicuae apparent qualitates fingere potest. Contra cum res, quae ipsae vel quarum partes alia aliam sequuntur actiones nominentur, poësis nihil fere nisi actiones proponit. Quamquam corpora non solum existunt in spatio, sed etiam temporum vicissitudini sunt subiecta. Nam cum permaneant, quovis temporis momento formam ordinemque, quem habent, mutare possunt. Quarum mutationum cum unaquaeque causa aliqua sit effecta et ipsa aliam possit efficere, ut corpora in media quasi actione possint esse posita, ars pingendi actiones quodammodo potest imitari, nec tamen eas potest significare nisi corporum concursu.

Contra actiones non per se fiunt, sed per animantia quaedam. Quae cum sint corpora, vel corporum formis induantur, ars poëtica corpora etiam describit, non tamen aliter nisi ita, ut ea per actiones significet.

Iam cum ars pingendi in continuis suis compositionibus unum solum actionis momentum pingere possit, feracissimum eligit, quo et quae antea erant acta et quae post agentur maxime illustrantur.

Similiter poëtica ars cum in progredientibus actionibus unam solam corporum proprietatem possit monstrare eam eligit, qua corpus optime tale illustretur, quale in actione ipsa apparet.

Inde repetitur id quod docetur et de epithetorum ornantium constantia et de parva corporum accuratius descriptorum frequentia.

His aegre conclusis minus confiderem, si ea non essent Homericae artis consuetudine atque usu confirmata aut potius ab eo repetita. Nisi his principiis praeclara Homeri ars non potest definiri aut illustrari, nec contraria tot recentiorum poëtarum ratio diiudicari, qui in re aliqua cum pictore tentant certare, in qua non possunt ab eo non superari.

Ab Homero censeo nihil fere nisi actiones progredientes depingi, corpora et res singulas omnes ita describi, ut actionum sint participes, uno plerumque epitheto. Quid igitur mirum, quod pictor in eius descriptionibus aut paulum aut nihil inveniat, quod ipse imitetur, quod in iis tantum versetur descripttonibus, in quibus magna formosorum pulcreque dispositorum corporum copia in loco aliquo summa amoenitate ornato congesta est, quamvis et corpora ipsa eorumque dispositio et locus vel minimo a poëta sint depicta ornatu. Remque ita se habere eum non effugiet, qui totam seriem picturarum, quas Caylus proponit, ex Homeri carminibus petitas singillatim velit percurrere.

Mittamus igitur illum, qui poëtarum ingenium colorum, quibus pictor utitur, varietate metitur ipsique qualis sit ars Homeri accuratius explicemus.

Unaquaeque, inquam, res ab Homero plerumque epitheto depingitur uno. Veluti navem dicit modo nigram, modo curvam, modo celerem, cum plurimum remis bene instructam nigramque. Plura piget eum accumulare epitheta. Non vero piget navigationem, non profectionem, non appulsum diligentissime describere, ut pictori quinque sexve conficiendae sint picturae, si rem integram in tabulam transferre velit.

Iam si res ipsa Homerum cogit in una aliqua re vel persona describenda diutius versari, non tamen proponit descriptionem, quam pictor possit imitari penicillo, sed singulari arte illas per continua temporis momenta persequitur, quorum uno quoque mutatae apparent, quorumque pictor ultimum solum potest pingere, ut perfecta proponat ea quae apud poëtam nascentia conspicimus. Veluti si Homero Junonis currus est describendus, Juventatem deam conspicimus singulas eius partes componentem. Rotas enim, axes, sellam, temonem loraque conspicimus non iam composita, sed ut Juventatis manibus componantur. Rotae solae plus uno lineamento describuntur. Singulatim enim ante oculos nostros ponuntur octoni radii aenei, orbes aurei et aere cincti, medioli argentei. Nam cum plures essent rotae, diceres tanto plus temporis in earum descriptione consumendum fuisse, quanto plus ad eas currui applicandas opus esset. Legimus enim apud Homerum:

Ἡβη δ' ἀμφ' ὀχεεσσι ϑοως βαλε καμπυλα κυκλα
χαλκεα ὀκτακνημα, σιδηρεω ἀξονι ἀμφις
Των ἠτοι χρυσεη ἰτυς ἀφϑιτος, αὐταρ ὑπερϑεν
χαλκε' ἐπισσωτρα, προςαρηροτα, ϑαυμα ἰδεσϑαι.
Πλημναι δ' ἀργυρου εἰσι περιδρομοι ἀμφοτερωϑεν.
Διφρος δε χρυσεοισι και ἀργυρεοισιν ἱμασιν
Ἐντεταται δοιαι δε περιδρομοι ἀντυγες εἰσι.
Του δ' ἐξ ἀργυρεος ῥυμος πελεν. αὐταρ ἐπ ἀκρῳ
Δησε χρυσειον καλον ζυγον, ἐν δε λεπαδνα
Καλ' ἐβαλε, χρυσεια — — —

Si Homerus Agamemnonem monstraturus est, quo usus sit vestitu, regem monstrat vestes singulas induentem, mollem tunicam, latum pallium, pulcra calceamenta, ensem. Quo facto promptus paratusque sceptrum prehendit. Vestes igitur, quales fuerint, monstrat poëta actionem describens vestiendi. Alius fortasse quispiam vestium vel minimos cirros descripsisset, actionem prorsus neglexisset. At Homerus haec:

— — Μαλακον δ' ἐνδυνε χιτωνα,
Καλον, νηγατεον, περι δ' αὐ μεγα βαλλετο φαρος.
Ποσσι δ' ὑπο λιπαροισιν ἐδησατο καλα πεδιλα.
Ἀμφι δ' ἀρ ὠμοισιν βαλετο ξιφος ἀργυροηλον,
Εἱλετο δε σκηπτρον πατρωιον ἀφϑιτον αἰει.

Cuius sceptri, hoc loco paterni et perpetui nominati, ut simile quoddam alio loco χρυσεοις ἡλοις πεπαρμενον i. e. aureis transfixam clavis nominatur, huius sceptri, inquam, gravissimi accuratiorem distinctioremque si propositurus est descriptionem, quid tum. Homerus? Num praeter aureos clavos, lignum etiam quale fuerit, apicem artificiose sculptum describit. Optime sane tale quid se haberet in libello insignia gentilicia describente, ut posteri exemplo utentes aliud ei simillimum fingere possent. Neque dubito, quin recentiores quidam poëtae talem praeconis heraldici descriptionem proposuerint simplicissimo sibi persuadentes animo, se pinxisse, quippe quos pictor possit imitari. Quid autem Homeri interest, quantum discrepet a pictore? descriptionem singularum partium negligens historiam sceptri narrat; profectum enim e Vulcani officina primum in manibus fulget Jovis, tum Mercurii auctoritatem notat, tum imperium Pelopis bellicosi, deinde pedi loco est in manibus Atrei pacifici, quae sequuntur. His enim utitur verbis Homerus:

Σκηπτρον ἐχων, το μεν Ἡφαιστος καμε τευχων
Ἡφαιστος μεν δωκε Διϊ Κρονιωνι ἀνακτι.
Αὐταρ ἀρα Ζευς δωκε διακτορῳ Ἀργειφοντῃ.
Ἑρμειας δε αναξ δωκεν Πελοπι πληξιππῳ,
Αὐταρ ὁ αὐτε Πελοψ δωκ' Ἀτρει, ποιμενι λαων.
Ατρευς δε ϑνησκων ἐλιπε πολυαρνι Θυεστῃ.

Αὐταρ ὁ αὐτε Θυεστ' Ἀγαμεμνονι λειπε φορηναι,
Πολλῃσι νησοισι και Ἄργεϊ παντι ἀνασσειν.

Quibus lectis sceptrum quale fuerit, melius cognovimus, quam si pictum vel ab altero Vulcano fictum viderimus. Qua in descriptione si invenirem interpretem aliquem Homeri veterem perfectissimam admiratum esse similitudinem nascentis primum, deinde crescentis, et confirmatae denique hereditate relictae dignitatis regiae, non mirum id mihi videretur. Subriderem sane, si legerem, Vulcani, qui sceptrum fabricatus esset, persona nihil aliud significari nisi ignem, quo ad vitam sustentandam nihilo carere possemus minus, rerumque ad vitam necessariarum expletionem, cuius desiderio pristini homines commoverentur, ut unius se subicerent dominationi; atque primum regem, Aevi filium, (*Δια Κρονιωνα*) senem fuisse venerandum, qui regni curam cum viro facundo et prudenti i. e. cum Mercurio (*Διακτορῳ Ἀργειφοντῃ*) communicare vel potius ei cedere vellet, a prudente deinde oratore summam potestatem, cum civitas adolescens ab externis vexaretur hostibus, fortissimo bellatori (*Πελοπι πληξιππῳ*) traditam esse, ab hoc eam hostibus oppressis imperiique finibus munitis in filii manus transferri potuisse, qui rex pacificus pastorque gregis suae benevolus (*ποιμην λαων*) eam opulentiae et abundantiae assuesceret; quare mortuo eo cognatorum opulentissimc viam esse patefactam ea quae antea fide parta viris bene meritis oneri magis quam honori essent donis et largitionibus acquirendi et acquisita quasi bonum emtum familiae suae confirmandi. Subriderem, inquam, nihilo tamen secius maiore etiam afficerer admiratione poëtae, cui tot sententiae possent supponi. — Sed a via proposita aberravi, iam ad propositum revertenti mihi sceptri historia nullo alio consilio a poëta videtur interposita, nisi ut hoc artificio in singula illa re contemplanda diutius versari nos cogat sine ulla frigida singularum partium descriptione. Nam Achille etiam per sceptrum iurante, se ignominiam ab Agamemnone illatam esse ulturum, sceptri historia narratur, quod videmus ex trunco arboris in summis montibus virescentis recisum, foliisque et cortice orbatum ferroque dolatum, ut iudicibus populi insigne sit divinae auctoritatis. Legimus enim apud Homerum haec:

Ναι μα τοδε σκηπτρον, το μεν οὐποτε φυλλα και ὀζους
Φυσει,ἐπειδη πρωτα τομην ἐν ὀρεσσι λελοιπεν,
Οὐδ' ἀναθηλησει·περι γαρ ρα ἑ χαλκος ἐλεψε
Φυλλα τε και φλοιον· νυν αὐτε μιν υἱες Ἀχαιων
Ἐν παλαμῃς φορεουσι δικασπολοι, οἱ τε θεμιστας
Προς Διος εἰρυαται — — — — —

Qua in re poëtae non tam intererat, ut duo scipiones describeret materia formaque diversos, quam ut potestatem eorum, quorum in manibus insignia erant, quam esset diversa, oculis quasi subiceret. Ille enim a Vulcano fabricatus, hic a nescio quo in montibns erat rescisus, ille vetus nobilissimae gentis ornamentum, hic ad pugnum nescio cuius implendum factus, ille a principe multarum insularum totiusque Graeciae potentissimo, ille ab uno aliquo ex Graecorum principibus gestus. cui, ut aliis multis legum servandarum commissa erat tutela. Adeo

enim revera distabat Agamemnon ab Achille, id quod hic ipse quamvis maxime iratus negare non poterat.

Quamquam Homerus non solum ubi in descriptionibus alia quaedam persequitur consilia, sed etiam ubi nihil propositurus est, nisi meram imaginem, hanc in historiam quandam rei propositae involutam exhibet, ut partes eius, quas in re ipsa aliam videmus iuxta aliam positas, in ipsius descriptione non minus vero similiter alia sequatur aliam et pariter cum fluente oratione quasi excurrant. Veluti si depingere vult Pandari arcum, corneum, nescio cuius longitudinis, politum, laminis utrimque aureis ornatum, quid? num haec omnia, quae propria sunt arcus deinceps ieiune enumerat? hoc esset hominis talem arcum opifici imperantis et praescribentis, non poëtae pingentis. A venatu potius incipit, quo ibex, cuius e cornibus arcus factus est, a Pandaro in rupibus insidiante percussus est. Cuius e cornibus cum mira essent magnitudine, arcum iubet construi. Iam in manibus sunt opificis, qui ea connectit, connexa polit, polita auro ornat. Quomodo, ut iam diximus, apud poëtam videmus nascentia, quae in pictura non possimus conspicere nisi perfecta. Verba autem Homeri haec sunt:

— — — Τοξον ἐυξοον, ἰξαλου αἰγος
Ἀγριου, ὁν ρα ποτ' αὐτος, ὑπο στερνοιο τυχησας,
Πετρης ἐκβαινοντα δεδεγμενος ἐν προδοκησιν
Βεβληκει προς στηθος · ὁδ' ὑπτιος ἐμπεσε πετρῃ
Του κερα ἐκ κεφαλης ἑκκαιδεκαδωρα πεφύκει
Και τα μεν ἀσκησας κεραοξοος ἡραρε τεκτων,
Παν δ' εὐ λειηνας, χρυσεην ἐπεθηκε κορωνην.

Dies me deficeret, si omnia huiuscemodi exempla vellem excerpere. Quae magno praesto sunt numero ei, qui Homeri carmina bene noverit.

XVII.

Forsitan quispiam dixerit, signa, quibus utantur poëtae, non solum aliud sequi aliud, sed etiam ad arbitrium fingi. Quae cum ita sint, fieri sane posse, ut signis illis corpora, quae existant in spatio, describantur. Atque apud Homerum ipsum exstare huiusmodi exempla. Cuius si quis in memoriam sibi revocet descriptionem clypei Achillei, eum exemplum habere, quo evidentissime probatum sit, quam copiose, quamque poëtice rerum singularum partes alia iuxta aliam positae possint describi.

Utrumque iam refellam. Duae enim sunt res, quas ille opponit, non una. Nam et recta conclusio per se vel sine exemplo valet et exemplum ipsum ab Homero petitum magnam habet auctoritatem, etiamsi nulladum conclusione sit comprobatum.

Negari sane non potest, cum signa orationis ad arbitrium fingantur, fieri posse, ut iis partes corporis alia post aliam describantur, quae revera alia iuxta aliam positae cernuntur.

At hoc ad orationem ipsam eiusque partes pertinet, non ad poetae, qui iis utitur, consilium. Is enim non solum id spectat, ut intelligatur, ut imagines ab eo propositae clarae sint et perspicuae (id enim scriptoris est, qui soluto utitur sermone), sed quas in nobis excitet cogitationes, eas tam claras esse vult, ut repente res ipsae oculis quasi videantur obversari, eoque temporis momento nos ipsi ita decipiamur, ut vix divinemus, qua id fiat ratione i. e. verbis. Huc spectabat, quam supra proposuimus, poëticae picturae definitio. At poëtam volunt nihil fere proponere nisi picturas. Quare iam videamus, quatenus fieri possit, ut corporum partes aliae positae iuxta alias ab eo depingantur.

Qui fit, ut rem aliquam externam perspicue animo fingamus? Primum consideramus partes eius, quales sint singulae, deinde quomodo inter se cohaereant, denique totum quale sit. Quae omnia sensibus nostris tanta efficiuntur celeritate, ut in unum coëant; eaque celeritate opus est, ut claram rei totius imaginem percipiamus, quae nisi singularum partium et natura et coniunctione perspectis non efficitur. Fac igitur poëtam nos optimo ordine ab alia parte ad aliam traducere, fac evidentissime nobis eum, quomodo hae inter se cohaereant, demonstrare, quantum ad haec ei opus erit temporis? Quae oculus uno comprehendit obtutu, ea aliud ille post aliud lente enumerat, ut ad ultimum progressi, quale primum fuerit, iam simus obliti. Nihilo tamen secius ex his omnibus totum est effingendum animo. Qua in re oculo quidem quas perspexit partes semper obversantur, atque iterum iterumque possunt percurri, sed auri quas percepit partes evanescunt, nisi memoria retinentur. Etiamsi vero ea retineantur, quo opus est labore, qua contentione, si, quomodo illae aures pepulerint et quo ordine, clare tibi revocare modicaque celeritate una comprehendere velis ut aliquam rei totius formam animo fingere possis.

Age rem quae sit experiare exemplo, quod in suo genere praestantissimum ab Hallero proponitur hunc in modum:

Vides ut alta gentiana germinans
    Herbas superet ignobiles,
Paret tyrannae turba florum, caerula
    Honorat ipsa illam soror.
Flores coronaut aurei radiis pares
    Caulem atque vestem caesiam.
Frondes eburnae lineis virentibus
    Nitent gemmarum fulmine.
O iusta lex, venustas mixta robori
    Mens sana pulchro in corpore.
Hic serpit herba parva noctem aequans nigram
    Frons en habet formam crucis,
Flos ipse aurata suavis rostra habet duo,
    Quae fert avis amethystia.
Folium ecce splendens hic refulget rivulo in
    Virente digitatum ac leve.
Florum alba nix sepitur mixta purpurae

Pulchra corona luminum.
Trita ipsa prata habent smaragdos et rosas
Rupes teguntur purpura.

Quo carmine herbae floresque a docto poëta maxima arte quales in natura exstant pinguntur, idque sine ulla simulatione. Neque negare ausim, qui illas herbas floresque nunquam viderit, aliquam ex hac pictura sibi comparare posse harum rerum notionem. Nulla fortasse a poëta proposita pictura potest comprehendi, nisi res picta antea iam nota fuerit. Neque negarim, animo eius, cui contigerit, ut rem noverit, nonnullas eius partes per poëtam dilucidius proponi posse. Id unum quaero, tota res quomodo possit percipi. Quam si vis animo veluti praesentem fingere, cave ne singulae partes emineant prae caeteris, lux potius omnibus pariter sit distributa, cogitatio omnes partes uno obtutu percurrere possit oportet, ut rem, quae in natura conspicitur cuncta, ex illis possit componere cunctam. Idne licet in his Halleri versibus? Quod si negandum est, qui fieri potuit, ut dicerent, simillimam pictoris imaginem prae hac poëtae descriptione pallidam fore atque obscuram? imo haec multo est inferior illis, quae lineis exprimantur et coloribus, atque existimator tam effusa eam efferens laude falsam secutus esse videtur rationem. Aliena potius, quae poëta adiecit, ornamenta respexit ipsum plantarum vigorem superantia, interiorum virtutum descriptionem, quibus interna pulcritudo quasi velamento est, quam ipsam pulcritudinem, vigorem similitudinemque imaginis, quae vel pictor vel poëta potest praebere.

Quae cum in his sola sint respicienda, is qui existimat his versibus:

Flores coronant aurei radiis pares
Caulem atque vestem caesiam.
Frondes eburnae lineis virentibus
Nitent gemmarum fulmine

sensum non minus affici, quam Huysumi picturis, affectus suos, quales fuerint, aut nunquam diligenter examinavit aut consulto dissimulat. Versus enim illi sane, si manibus tenemus florem ipsum, venuste possunt pronuntiari, per se ipsi aut pauca aut nihil valent. Tantum enim abest, ut qualis sit res ipsa videam, ut in unoquoque verbo poëtam audiam laborantem.

Non igitur, ut repetam quae antea dixi, nego fieri posse, ut oratio ipsa corporis partes describat. Fieri enim potest, quoniam signa eius, quamvis alia sequentia alia, tamen ad arbitrium sunt ficta, nego oratione hoc fieri posse poëtica, quippe quod descriptiones illae corporum verbis effectae similitudine careant, quam imprimis spectat ars poëtica. Qua simititudine propterea non possunt non carere, quod corporis partes positae sunt aliae iuxta alias, orationis partes sequuntur alia aliam. Iam si his illae describuntur, facile quidem totum dissolvitur in partes, sed dissolutae partes aut difficile componuntur aut prorsus non possunt componi.

Ubicunque igitur non quaerenda est rerum similitudo, sed mens legentium sola excitanda, ubi clarae et quantum fieri potest absolutae notiones animo sunt percipiendae, illae corporum descriptiones ab arte poëtica alienae bene sunt adhibendae, neque solum solutae orationis scriptores, sed poëtae etiam ii, qui docent (id enim quatenus faciunt, non veri sunt

poëtae) iis magna cum utilitate possunt uti. Veluti Vergilius in Georgicis vaceam describit feturae habilem his verbis:

— — — Optima torvae
Forma bovis, cui turpe caput, cui plurima cervix,
Et crurum tenus a mento palearia pendent.
Tum longo nullus lateri modus: omnia magna:
Pes etiam, et camuris hirtae sub cornibus aures.
Nec mihi displiceat maculis insignis et albo,
Aut iuga detrectans, interdumque aspera cornu,
Et faciem tauro proprior; quaeque ardua tota,
Et gradiens ima vertit vestigia cauda.

vel pulcrum equi pullum his:

— — — — illi ardua cervix
Argutumque caput, brevis alvus, obesaque terga;
Luxuriatque toris animosum pectus etc.

Quis enim est, qui non intelligat, poëtam in his singularum potius spectasse partium descriptionem, quam rei totius imaginem? Quae propria sunt pulcri pulli equini, quae vaccae feturae habilis enumerat, ut ex maiore minoreve eorum numero, quid hic valeat, quid illa possimus diiudicare; quae utrum omnia ad illustrem imaginem possint comprehendi, nihil curat.

His omissis ampliores corporum descriptiones, nisi Homeri illa ars adhibetur, qua res in spatio alia iuxta aliam positae nascentes alia post aliam monstrantur, semper a praestantissimis artis existimatoribus frigidi ineptique lusus sunt habitae, qui aut modiocre aut nullum postularent ingenium. Mali poëtae, inquit Horatius, si non habent quod dicant, lucum describunt aramve, vel rivum per amoenos agros serpentem, vel flumen rapidum, arcum denique caelestem. Utitur enim his verbis:

— — — — Lucus et ara Dianae,
Et properantis aquae per amoenos ambitus agros,
Aut flumen Rhenum, aut pluvius describitur arcus,

Atque Pope, cum vir esset factus, quae ipse adolescens composuerat carmina describentia admodum despiciebat. Qui enim poëtae nomine velit dignus haberi, ei prima iam aetate abiciendam esse describendi cupiditatem. Nam carmen picturis plenum simile esse epularum iuribus solis conditarum. Kleistium vero certo scio carmine suo, quod ver inscripsit, minime esse gloriatum. Qui si diutius vixisset, formam eius prorsus mutasset. Circumspexit enim animo, quomodo ad meliorem eam dirigeret rationem, cogitavitque quomodo descriptiones frequentes, quas ex immenso spatio naturae vere revirescentis temere hinc illincve videbatur rapuisse, ordine naturae accomodato nascentes oculis subiceret aliasque alias sequentes faceret. Atque simul id fecisset quod Marmontel eclogas eius sine dubio respiciens pluribus suasit poëtis Germanicis, seriem descriptionum inopia affectuum languescentium in seriem affectuum descriptionibus raro pertextorum mutasset.

Schulnachrichten.

I.

Lehrverfassung des Gymnasiums.

Prima.

Ordinarius: *Der Director.* Cursus zweijährig.

Religion. 2 St. Ueberblick über die Geschichte der Kirche. Erklärung der Augsburgischen Confession. *Der Director.* *Deutsch.* 3 St. Litteraturgeschichte vom Ausgange des Mittelalters bis in die neuere Zeit. Correctur von 10 Aufsätzen. Obl. *Schultz.* *Lateinisch* 8 St. Hor. Carm. lib. I—II Satur. lib. II. mit Auswahl statarisch. — Cursor. Carm. lib. III;. 2 St. Obl. *Adrian.* Cic. Tuscul. I u. IV statarisch. Tacit. Annal. lib. II—IV. mit Auswahl u. Germania. Cic. divinatio in Caecilium, Verrin. de signis privatim u. cursorisch. 3 St. Stilübungen, Exercitien, Extemporalien, freie Aufsätze und metrische Arbeiten. 3 St. *Der Director.* *Griechisch.* 6 St., im Winter 4 St. Hom. Il. I—VI, XIII—XVIII, theils statarisch, theils cursorisch, i. S. 2., i. W. 1 St. Soph. Trachinierinnen, i. W. 2 St. *Der Director.* Demosth. Olynth. I. II. III. Platon. Phaidon mit Auswahl statarisch. — Herodot VII und Plutarch Numa cursorisch 2 St. Wiederholung der wichtigsten Regeln der Syntax, Correctur der Exercitien u. Extemporalien (14tägig.) 1 St. Prof. *Dr. Petermann.* *Philosophische Propädeutik.* 1 St. Trendelenburgs Elementa logices Aristoteleae. *Der Director.* *Hebräisch.* 2 St. 1. Sam. 1—14. Ps. 11—24, cursor: 1. Sam. 14—19. Wiederholung der Formenlehre und das Wichtigste aus der Syntax. Exercitien und Analysen. Obl. *Beissert.* *Französisch.* 2 St. Histoire d'Attila par Thierry. Exercitien und Extemporalien wöchentlich abwechselnd zur Einübung der gesammten Syntax nach Plötz Gramm. *Dr. Meves.* *Geschichte.* 3 St. Neuere Geschichte verbunden mit geographischen Repetitionen. Wiederholung der mittleren Geschichte. Prof. *Dr. Petermann.* *Mathematik.* 4 St. Progressionen, Zinseszinsrechnung. Combinationen, binomischer Satz. Quadratische Gleichungen mit mehren Unbekannten im S., Stereometrie im W. 13 Exercitien. 3 Klausurarbeiten. Obl. *Sachse.* *Physik.* 2. St. Galvanismus. Optik. Obl. *Sachse.*
